

**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola  
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Redity  
Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

3. Quod quibusdam aduersa quam prospera magis conducant.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](#)

dem & porcina prandia; nam cupiebat implere ventum  
de siliquis, quas porci manducabant, & nemo ei dabant.

## III.

*Quod melius sit nonnullis esse in aduersitate, quam  
prosperitate.*

**C**oncludamus igitur melius esse quibusdam aduersis, quam prosperis, maxime si illa non non sint, nec nimium ad peccatum pertrahant; possidentes vero oculorum & intellectus firmitudinē non præpolleant: nam quibus visus infirmior ac debilior, melius per umbram, quam per solem iterat.

**D. Aug. ep.** *Nihil infelicius, felicitate peccantium*, dicit S. Augustinus, & Demetrius: *Nihil mihi videtur infelicius, nisi nihil euenerit aduersi.*

Dom. Noæus tertio paradoxo militari docet. *Vtile esse duci semel aduerso Marte pugnasse.*

**Plutar. in Themist.** *Quot inueniuntur, qui cum Themistocle exaltare possunt, et si in alio casu: Perieramus, nisi periremus: perdiæ nobis esset anima, nisi periret corpus.* *Quam oportune multi Zenonis uterentur verbis: & cum eodem Philosopho gratias agerent infortunio, quod benignitate sua ipsos philosophari compulserit.*

Dio. Laert. lib. 7. c. 1. de vit. Philos. Zenonem Cittæum dixisse ferunt. ] *Tum secundis ventis nauigauimus, quando naufragium feci.*

Ibi. ] *Alij dum Athenis diuersaretur, auditio naufragio cum dixisse ferunt; recte sane agit fortuna, que nos ad Philosophiam impulit.*

Ionam fugitiuum reduxit tempestas ad Deum.

Ion 2. ] *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum.*

Psal. 77. ] *Cum occideret eos, quarebant eum, & diluculo reuertebantur ad eum.*

Auctor. 9. Paulus de equo præceps deturbatus ait: *Domine, quid me vis facere?*

Psal. ] *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.*

Psal.90.] Letatis sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annus, quibus vidimus mala.

2.Cor.12.] Cum infirmor tunc fortis sum.

Cicero. Ut equos, propter crebras contentiones praliorum, ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, ut ijs facilioribus possint vivi; sic homines secundis rebus effrenatos, sibique praesidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinae, calamitatibus rebusque improsperis plerumq; duci, ut perficiant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortune.

Ierem.31.] Castigasti me, & cruditus sum quasi iuuenulus indomitus.

Sicut nunquam botrus vina sua diffunderet, nisi torcularibus extorta; sic & nonnulli boni nihil reddereat, nisi pressi afflictionibus: ignot& felicibus atra, & rara fumant felicibus atra. Dicit Poeta: sic, sic est: sunt qui vt generosi equi duci non possunt, sed trahi tundique debent vt asini: imo, imo vero homines sunt, qui animas habent a sinorum, Midæque auriculas, hortare, inclama, quantum volueris, nihil agent, non procedent, nisi egregie depexi fustibus, imo homines inuenias eiusdem naturæ cum nucibus, quas nunquam feraciores feceris, nisi verberibus, & baculis; quales olim superstitione gentilium foeminæ, quæ fœcunditatem suam desperabant, facilemque partum, nisi festis Lupercalibus dorso, ventre, & palmis accepissent verbera scuticæ, insignium tam infamis ac execrandæ solennitatis ministrorum: de quibus quidam antiquæ idololatriæ magnus Secretarius alicubi sic loquitur:

Nupta quid exspectas? non tu\* pollutibus herbis

Nec prece, nec magico carmine mater eris.

Excipe sa: unda patienter verbera dextra,

Iam sacer optatum nomen habebit avi.

— iussa sua terga puellæ

Pellibus exsectis percutienda dabat,

Luna resumebat decimo noua cornua\* mense.

Virg pater subito, nuptaq; mater erat.

Quid. lib.2.

Fast.

\* al. pallen-  
tibus.

\* al. motu

Ideo-

Ideoque hominibus istis, tam ad calcaria obdutatis, dicit compelle intrare ad nuptias regis magni, compelle inquam, interminationibus cruciatum æternorum, compelle poenis, & rigoribus legum uilium: compelle vi, & quocunque modo, voluntates ipsorum rebelles, denegando, præcidendo quis quid ipsorum pertinaciam impunit, ad Deum nos ire compellunt, atque ideo si quis me interrogaret: utrum pastor à parochiali suo rogatus, diuinam pro ægro querere misericordiam, ut sanitatem recipiat, si querenti utrum in sanitate, an in egritudine magis Christiane vixerit, responderet ager, tu n cum Deus me visitauit (iuxta S. Paulum, cum affirmor, tunc fortis sum, & virtus in infirmitate perficiuntur) recte responsorum affirmo, satius ergo tibi tenerilecto, ut melior euadas, orandum enim est, ut sit mens sana in corpore sano, & utriusque sanitas precibus interpellanda; sicut dicit ecclesia: Perpetua mentis & corporis sanitatem gaudere. ac ideo quando corporis sanitas, infirmat animam, aut eius ægritudo animam magis roborat, neglecta corporis sanitatem, animæ valetudini uincere incumbendum est, & periclitandum pro domina mancipium. subscriberet mecum sententia huic S. Petrus. Noluit enim etiamsi posset, filiam suam Petronellam liberare à febribus, quibus tota vita afflatabatur, nisi ad hoc solum, ut de potestate ipius constaret, iussi enim sanam vni seruire conuiio (ut nonnulli referunt) ostendens quantum bonum secundum firmitas.

D. Gregorius hom in illud: Homo quidam fecit cœnam magnam. ] Plerumque, inquit, postquam in hoc mundo non possumus obtinere quod volumus, postquam in terrenis desiderijs de impossibilitate lassamur, nunc mentem ad Deum reducimus, tum placere incipit quod displacebat, &c. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti, ad Dei amorem redeunt, atque à presentis vita desiderijs corriguntur, quid isti, fratres charissimi, nisi ut intrent, compelluntur. Plane sicut medici, corporibus metuunt crassis, nimium obesis, oppletisque, & curatis nimium:

D. Greg.

mium: experti nautæ nimiam maris malaciam, & tranquillitatem: Agicolæ spicas nimium prægnantes: Hortulanæ arbores nimium onustas: vinitores racemationem nimiam. Ægyptij quoque Crocodilorum lachrymas: alij risum Sardonicum. Troiani equos & dona Græcorum: *Timeo Danaos & dona ferent.* Virg. lib. 2. tes dicit sacerdos ipsorum Laocoon. Christiani Iudæ Aeneid. oscula, inducias Turcarum, viatores risus blanditiæ que canum, quia nimia sanitas præludium est infirmitatis; nimia serenitas tempestatis; nimia spicatum exuberantia calamitatum ante messem: (Sege-rem nimia sternit ubertas, dicit Seneca.) Crocodili la- epist. 39. crymæ mortalitatem hominum: risus Sardonici agonem mortemque ridentis: dona Græcorum, oscula ludæ, Turcarum inducæ, proditionem; canum risus, mordacia; sic & sapiens & Philosophus nimiam semper horrebit felicitatem; quia illa facile sui Dei que obliuionem inducit.

Tolluntur in altum

Claudian.

*Et lapsu grauiore ruunt.*  
Cato lib. 2. dist.] *Noli successus indignos ferre moleste,*  
*Indulget fortuna bonis, ut ladere possit.*

Sæpe, sæpe nimia fortuna, nimiaque felicitas desinit in infortunium, noxamque animæ, corporis, & bonorum omnium, nonne vidimus numerosissimos exercitus, tandem ab uno hominum manipulo superatos? quia ob res semel & bis bene gestas, leuesq; pugnas, inciderunt in superbiam, insolentiam, contemptum hostium, dedignantes se munire ac obseruare sollicitæ, quod facturi erant, nisi leuiter aliquoties strauissent hostem.

Policrates Samiorum rex: illum dico à fortuna, Herod. li. 3. tam laute delicatoque nutritum: hoc satis peruidit, in Thalia. cum consilio Amasis regis Ægypti, gemmam signatorm abiecit in mare, quæfuit, captavitque molestiam, quæ ipsum laxatis frenis aliunde videbatur effugere, quæfuit saltem tantum in vita habere molestia, ut uno die, annulo, quem charissimum habebat, carceret: historia memorabilis apud Herodotum: ac ide.

ideo totam ut digna est hic reponam pro curiosis-  
bus iuxta correctionem Henrici Stephani.

Herodotus lib. 3. Res Polycratis tantopere secundas-  
se non latuit Amasis ( Regem Aegypti , cum quo ho-  
spitium , ac deinde fœdus habebat ) cui hoc cura erat  
sed cum assidue forent multo secundiores , Amasis libellum  
Samum misit in hac verba scriptum , Amasis ita Polycratum  
inquit , mihi quidem feliciter agi cum viro amico meo &  
hostite , audire voluptati est : tamen tua magna prosperita-  
tes mihi non placent , qui intelligo , quam inuidum numen  
est . Quod ad me attinet , malum tuum meas ipsius , tumu-  
rum qui mihi cura sunt , res nunc prospere ire , nunc infil-  
citer cedere , & ita per varias fortunæ vices eum traducere ,  
quam in omnibus mihi prospere cedere . Nec enim de qua-  
dam audiisse me puto , qui quum in omnibus felix fuisset ,  
non tandem male perierit funditus . Tu itaque mihi obtem-  
perando , hoc aduersus prosperitates agito : Despice quid tibi  
sit , quod plurimi facias , quodque amissum tibi maxime do-  
leret : id ubi inuenieris , ita abiecito , ut nunquam ad homi-  
nes veniat . Quod si prospera tua deinceps non variabantur  
aduersis , medeare tuti subinde eo modo , quem tibi subie-  
ci . Hac quoniam legisset Polycrates , & in animum demisisset ,  
tanquam benefici ab Amasi precepta , disquirebat quodnam  
ipsorum ornamentorum esset , quo amissum maxima ipse mole-  
stia afficeretur : atque hoc tandem queritando inuenit . Erat  
ei \* gemma signatoria Smaragdus , quam gestabat auro im-  
clusam , opus Theodori Samij Telecle geniti . Hanc ubi ab-  
sidiendam statuit , ita abiecere libuit . Quinquaginta rambo-  
rum nauem concendit : eam dehinc viros , quibus ilam in-  
struerat , in Pelagus educere iubet . Et postquam ab insula  
procularerat , detractum sibi sigillum , ijs qui una manigabat  
inspectantibus , abiecit in pelagus : hoc acto renauigavit .  
Reuerso domum , quum ex iactura afficeretur , quinto , sexto  
ue , quam hac acta sunt die , hoc ei casu evenit . Piscator quis-  
dam captum a se pise , grandem sane ac pulchrum , putauit  
dignum , quo Polycratem donaret , eum ad fores quum  
attulisset , dixit se in conspectum Polycratis ire velle : à  
ianitore permisus , donans Polycrati piscem , Rex , in-  
quit , hunc ego quem cepi piscem , et si operis manuarijs vi-

\* al. gemi-  
na.

DE POENITENTIA PRODIGI. 38

tam iolero, tamen non iudicauit ferendum à me esse inforum sed tetuaq; potentia dignū. Eum itaq; afferro tibi, do-  
nog. His verbis iste delectatus, ita respondit: *Tu vero  
probe, nec facto solo, sed etiam oratione apud me inisti gra-  
tiam: ad tamenq; te vocatum volo.* Hac magnificiens pis-  
cator domum abiit, pīscem ministri rescedentes, offendunt  
in eius alio sigillum Polyoratis. Quod ubi viderunt sump-  
seruntq; ad Polycratem latabundi: quam celerrime pertule-  
runt. Eoz illi reddito, referebant, quo pacto fuisset inuentū.  
Polycrates quem cum subiisset diuinum quiddā id esse, scri-  
bit, que fecisset, & qua, post illa à se facta, sibi contigissent,  
& qua ratione, quod amiserat, recepisset. Hac ubi scripsit, in  
Ægyptum misit. Quibus tabellis Amasis perlectis qua à  
Polycrate venerant, didicit fieri non posse, ut homo homi-  
nē à requie euentura est retrahatur: & Polycrat in non fælicem  
foretande rerū exitum, qui per omnia prosperam fortunam  
experiretur, adeo ut ea etiam reperiret, qua abiecisset. Misso  
itaq; Samum Caduceatore, dixit se ius cum illo hospitijs sol-  
lucere. Quoā ideo fecit, ne in tristē aliquem grauemq; casum  
incidente Polycrate, animi dolorē veluti de hospite ipse con-  
traheret. Haec ibi Rex Salomon in tam beatis regni ini-  
tijs, orabat Deū sapientissimum, ne diuitias, aut pau-  
peritatem daret: prælagisse videtur cœcitatem, quę ipsū  
opprexit, cum se vidit opib. magis quam Crœsanis,  
oppletum tantus vice, ut tempore regni ipsius au-  
fū exquare: ut lapidibus. Ab altitudine diei timebo. Huc  
etia seruit, q; tanquam certum refertur: de S. Ambros. *Paulinus*  
Episcopo, qui diuertebas ad hominem diuite, & iuxta in vita S.  
mundi opinionem, adeo fortunatum, ut gloriaretur *Ambroſij*.  
se nihil in vita sensisse aduersi, quamprimum hoc au-  
davit, statim pedē retraxit ex ædibus ipse cum suis, di-  
cens: se inde fugere timentē perire cum homine, quę  
fortuna nunquam vellicasset, & qui ignoraret per in-  
experienciam, quid aduersa sint. Idcirco magnā dixi ef-  
fe Dei benedictionem, quod Prodigum nostrum ad  
eas reduxerit angustias, ut seruitio se manciparet tur-  
pissimo, experiretur inediā, non panis tantum, sed  
& siliquarum, quibus porci distendebant ventrem, ut  
subulcus fieret, suibus ipsis miseror, contra commu-  
ne prouerbium, quod dicit: præstare porcarium

fieri, quam porcum : fortunæ enim verbera, & incusus ipsi pro collyrio fuerunt fortissimo, quo oculo aperiret, & sanaret cœcitatem. Gratias igitur agamus Deo charissimi, quando nos afflit, auferens quæ amamus nimium, aut non concedens quæ male desideramus, nec ipsi cum reprobis reddamus ingratias, signum enim hoc amoris est (*Quem diligo, eum dicit ille, & castigat omnem filium quem recipit*) indicu est, quod nos sanare velit. desperatis enim agris quicquid dari poscunt, medici dare præcipiunt, (*dicit S. Gregor.*) qui autem ad salutem reduci possint, multa dari constidunt.

*Arnob. lib. 8. aduersus gentes:] gentes Deum nolentes ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostie adponam coronantur.*

*D. Gregor.] mactandus vitulus liber ad pascua dimititur, seruandus iugo premitur.*

Sicut qui mari iactantur tam diu salutem sperant, quamdiu gubernator clauum tenet, vela vertit, nudentes curat, desperant autem, quando nauem vento permittit, & fluctibus, dimittens omnia: sic & nos sperare possumus tandem gratia diuinæ portum & gloriae, quamdiu Deus nobis curam correptionemque impendit, sed summopere timendum est naufragium; cum dicit: *super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem, vel & dimisi eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adiumentibus suis.* Dicamus ergo inter aduersa, inter malleum & incudem, inter ferrum & cauterium, cum S. Augustino, *hic me, hic seca, ut in eternum parcas:* cum S. Ignatio Martyre: *frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Punge, ure, seca, lancina populum tuum in arena, ut in auum illi ignoscas.*

*D. Ignatius  
epist. ad  
Rom.  
Extragœd.  
Gall. auto-  
ris act. 4.  
scen. 2.*

CON